ALEXANDER FLENS.

IN teneris puerorum annis uti ait Barclaius, *ſunt omina creſcentium vitiorum, aut futuræ virtutis, moliente jam natura aptum unicuiq; indoli fundamentum*: ita redivivum in Caligula etiamnum puero Phaëtontem mirabatur Tiberius animo vicinas clades præſagiente; Caſſius Fauſto Scyllæ filio patris tyrannidem extollenti colaphum impegit, & ad ultimum vitæ ſuſpirium iram ſervavit in tyrannos obſtinatam; In Alexandro autem claris indicijs ſeſe aperuit immodicæ ambitionis omen, exoſa enim illi erat jucunda victoriarum paternarum narratio, ſolvebaturq; in lachrimas, ubi fractos à Philippo patre hoſtes accipiebat, adeò altè illius animo inſederat faſtus, ut tantùm crederet ſuæ detrahi gloriæ, quantùm patri accedebat, ac timeret, ne Philippi felicitas domitis hoſtibus omnem gloriæ occaſionem eriperet, invaluitq; adeò creſcente ætate hæc immoderata laudis cupiditas, ut nec ſuperato oriente toto ſatiari potuerit, ſed Anaxarcho aſſerente infinitos eſſe mundos, in lachrimas proruperit Macedo, ex eo, quòd poſt tanta vitæ diſcrimina necdum unicum mundum ſuo ſubjeciſſet Imperio. Poſſet & JOSEPHUS *Auguſtus* jure merito vereri, ne LEOPOLDI MAGNI virtus ſuperatis hoſtibus omnem bellicæ laudis exhauriat materiam, facili enim conjectura deprehendit tantis confectam ſtragibus Turciam ſuccumbere, eosquè pari ſtrage opprimendos, quos indignum fædus Turciæ rabiei univit, has tamen Alexandri lachrimas immoderatæ ambitionis teſtes ridet JOSEPHI animus, totusq; ſincero fruitur gaudio ad Paternarum victoriarum famam, quia abundè novit in ſeipſum redundare *Auguſtiſſimi Parentis* gloriam, ſicut enim Sol ubi imaginem ſuam nubi impreſſit, ita eidem propriam lucem indulget, ut nullam

patiatur ſplendoris jacturam, ſed ambo EODEM LUMINE informati appareant; ſic *Auguſtiſſimus Imperator* dum in *Sereniſſimo Filio*, ut cum Nazario loquamur: *jam ſimulachrum ſui conſpicit, & in annis prioribus ductas lineas, quibus virtutum ſuarum effigies poſſit includi*, ita eidem gloriam ſuam communicat, ut dum tota JOSEPHO accedit, nihil tamen LEOPOLDO MAGNO decedat, ſed ambo eodem ſplendore videantur coruſcare, hinc afficitur paterna fama quaſi propria *Auguſti Regis* animus, *quia gloria filiorum patres eorum.* Idcircò apud Romanos, quò quis plures numerabat Illuſtrium majorum ceras, eo majori dignus honore cenſebatur avorum laude ſeſe in ſeros Nepotes transfundente, æmulatur autem viciſſim Epaminondam Thebanorum ducem JOSEPHUS, qui poſt Leuctricam pugnam in eo felicitatis ſummam poſuit, quòd laudem & lætitiam poſſet in ſuperſtites parentes transmittere, ſic enim properat mutua communicatione *Auguſti Filij* gloria ſeſe in paternum ſinum effundere, quia *filius ſapiens gloria Patris:* nec facilè expreſſero, quantum lætitiæ & gloriæ LEOPOLDO MAGNO acciderit, cùm JOSEPHUS *Auguſtus* magnarum adeò rerum capacem ad comitia attulit animum, ut non ſolùm admiratione, ſed & futuræ felicitatis omine totas *ſapientiſſimorum Electorum* mentes impleverit.

DA-